DISQUISITIO PATHOLOGICA
DE
ERYSIPELATE

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXV. M. FEBRUARII A. MDCCCXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
ERNEST. AUG. SUIN DE BOUTEMARD
MESOMARCHICUS

OPPONENTIBUS.
F. BELTZ MED. DD.
A. ELTZE MED. DD.
E. GROSHEIM MED. DR.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO,

EXCELLENTISSIMO

J. N. RUST

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI ET CONSILIIS INTIMIS MEDICIS IN SUMMO MAGISTRATU RERUM SACRARUM AC MEDICARUM ET INSTITUTIONIS PUBLICAE; CHIRURGORUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO, PROFESSORI IN ACADEMIA MEDICO CHIRURGICA MILITARI ET IN UNIVRRSITATE BEROLINENSI; REI CHIRURGICAE ET OBSTETRICIAE IN NOSOCOMIO CARITATIS MODERATORI PRIMO ADIUNCTO; CLINICI REGII CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI DIRECTORI, COLLEGII REGII EXAMINIBUS PRAEFECTI SUMMI SODALI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE CLASSIS TERTIAE NEC NON CRUCIS FERREAE EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM ET ACADEMIARUM LITERARUM BEROLINI, ARAE UBIORUM, VRATISLAVIAE, ERLANGAE HALAE SAXORUM, CRACANIAE, PETROPOLIS, VILLNA ET SODALI HONORARIO ET CORRESPONDENTI ETC. ETC. ETC.

PIA MENTE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Permulta quidem citra medicinae fines tironi prostant, in quibus inquirendis animum erudiat, atque experiatur; quibus vires sint pares, quae recusent; tamen timidus procedat, res postulat ipsa. Quodsi etiam de veritate agitur, tamen quo sentiat, a clar: vir. opinione plus minusve recedentia, pronunciare dubius haerebit; idque vel magis, ubi minus Baglivii egregie dictum neglexerit: „medicina non ingenii humani partus est, sed temporis filia.“ Morbum depingere suscepi, qui manifeste probat, quid tempus ad morbos dilucidandos valeat, nisi modo Coici animus inter medicos exstinguatur.

Ante tres annos ducibus praeceptoribus venerandis Ill. Rust et Cel: Kluge in nosocomio caritatis erysipelatis indolem perspicere et differentias dignoscere mihi contigit, neque me latuit in

autorum de hoc morbo expositione causam saepius confundi cum effectu, morbos plane diversos sub eodem nomine colligo; naturamque morborum minus intelligi.

Hisce observationibus innitens, atque persuasus, in doctrina de erysipelate multa exstare, quae emendari oporteat, haec proponere audens, fero quid usus sibi exposcit.

---

§. 1.

Morbus, qui vernacula audit, Rose, Anschuss, Rothlauf, Rothlauffieber, Sydenhamio 1) febris erysipelatosa, Hoffmannio 2) f. erysipelacea, Sennerto 3), rosa nuncupatus sub nomine erysipelatis iamiam veterrimis temporibus cognitus fuit, atque apud ipsum Hippocratem diversis locis propriae huius cutis humanae affectionis fit mentio 3).

De diagnosi eius et phaenomenis pathognomonicis autores tum veteres tum neoterici congruunt quidem, attamen singula symptomata principalia non sat succincte discernuntur.

---

1) Opera medica. p. 174.
2) Med. system. p. 1. cap. 13.
3) De febrib. l. 2. c. 15.
4) Epid. l. 2 - 3. et Aphorismi sect. 7. 20. etc.

Agnoscitur vero Erysipelas e phaenominis topicis sequentibus.

Pars enim quaedam cutis subito occupatur rubore superficiali pallido, e roseo albicante, a certo cutis loco plus minusve, versus marginem non distincte limitato, semper tamen inaequaliter diffuso, lateque sine ulla spatii, aut figurae circumscriptione serpente et quodammodo exstincto.

Tumor planus laevisque hunc ruborem comitatur nitidum splendorem praese ferentem, cui est peculiare propriumque, ut, quo digito prematur loco eo plane evanescat candicetque; remota pressione vero mox pristinum colorem splendoremque recuperat. Hisce cum phaenomenis alia symptomata, molesta quaedam sensatio, pruritus levicum tensione, calor superficialis, dolor ardens nunquam vero pungens coniunguntur.

Praeterea notandum est, id quod ad erysipelatis naturam pertinet, eius eruptioni febrem semper praecedere; quae nunc simul cum Erysipelatis eruptione hominem aggreditur, post eruptionem perfectam, plerumque evanescit vel imminuitur saltem, nunc vero, id quod rarissime tamen accidit, ultra protrahitur. Non tacendum quidem est Erysipelas scriptoribus non inclytis autoribus sine ulla febre nonnunquam incedere, id quod Meza 1) et Richa 2) testantur; plerumque tamen febris non abest si Erysipelas est legitimum, ve-

---

1) Compend. med pract. fasc. 1. cap. 17. §. 156.

2) Const. epid. Taur. alter. §. 8.

rum, exanthematicum; Quae vero, ubi nihilominus interdum abesse observatur, exanthemata cetera acuta respicienda sunt, quae aeque ac illud non raro sine ulla febre incedentia observantur; cuius rei est testis P. Frank 1).

Non alienum abhinc puto commemorare, inter Erysipelatis genera, qualia plerumque referuntur, discrimina essentialia adesse atque diligentissime inter singula distinguendum esse; et si enim Erysipelas ut alia axanthemata, v. e. Scarlatinam, sine febre prodiens videmus, quod in genere iamiam ad exanthematum naturam pertinet, tamen morbi illi qui similitudinem quandam, quoad phaenomena cum Erysipelate offerunt ad naturam valdopere tamen differunt; id quod vel ex causis patet, quibus variis varia erysipelatis genera gignuntur.

Discrimina essentialia tamen illorum morborum qui cum Erysipelate similitudinem externam referunt, donec considerabitur divisio, mihi disserendum est, et solummodo primum de Erysipelate vero exanthematico verba facere volo.

§. 2.

Ante ipsam eruptionem mali adhuc in occulto germinantis, prodromi quidam animadvertuntur, tum locales tum universales. Minoris momenti sunt illi locales enim; atque praeter pruritum ardoremque in

---

1) De curand. H. M. Epitome L. 3. §. 270. „Nullum exanthema est quod non sine ullo febris vestigio interdum incedere etc.

eo loco, quo Frysipelas propellendum est, vix quid molesti aeger persentit. Magis perspicui maiorisque momenti prodromi sunt universales, ex totali organismi perturbatione oriundi, malamque coenaesthesis affectionem significantes.

Animadvertuntur vero lasfitudo artuum et gravitas magna in somnum proclivitas, morositas, animi tristitia, virium lapsus, pondus molestnm circa cordis scrobiculum, nausea, vomituritio, imo vomitus non modo ingestorum, sed etiam bilis flavae, capitis dolor atque obnubilatio, mentis perturbatio, interdum deliria. Conqueruntur aegri de anxietate, spirandi difficultate et sitis haud deest.

Febris, quae Erysipelatis eruptionem antecedit, incipere solet a frigore, horrore vel ipso vehemente rigore ad horas aliquot protracto, cum pulsu exili, frequenti, contracto; frigus ingens calor excipit. Nunc aut statim prorumpit Erysipelas aut febris accessa bis ter vel saepius repetitur.

Ingenere tum febris ipsius tum ceterorum phaenomenorum praecedentium vel mitior vel acrior indoles dependet a maiori minorive germinantis mali intensitate.

Sicuti autem Erysipelas verum semper cum febre incedit, sic haec illud quoque comitatur; idque optimis Pathologis satis snperque confirmatur. Ipse iam Hippocrates dixit; Multis autem in febribus et a febre Erysipelata contigerunt 1). Autores nuperiores omnes

---

1) Epid. Lib. 3.

eo interse conveniunt ut Erysipelas in febrile dividendum censeant. Vogel 1) Hufeland 2) Callisen 3) et m. a. semper Erysipelati febrem sociam incedere docent. Utrum vero Frysipelas quod sine febre incedere exhibent, Erysipelati iure adnumerari queat nec ne? in decursu opusculi huiusce inquiretur et quantum in me est, exponetur.

Solummodo pro varia mali indole ut in quocunque exanthemate febris aut per longius aut brevius tempus Erysipelas antecedit, quin inde essentialem quandam differentiam adesse arguere liceret:

Ipsum erysipelas vel simul cnm febre vel paulo post apparet. Sprengel 4) Vogel 5) Hufeland 6) Swieten quinta febris die in brachia Erysipelas natum se vidisse narrat 7), atque multae huius modi observationes apud auctores exstant, quorum afferre sufficiet nomina Burserii 8) Frank 9) etc. Saepius egomet ipse (meas enim observationes adiicere non audacius putetur) Erysipelatis eruptioni paroxismos febriles plures praegressos vidi.

Notatu dignum praeterea peculiare quoddam at-

---

1) Handbuch der pract. Arzneiwiss. etc. Th. 3. §. 118.
2) System d. pract. Heilkunde. B. 2. p. 260.
3) Grundsätze der heutigen Chirurgie. Thl. 1. p. 217.
4) Institut. med. Tom. IV. p. 384.
5) l. c. p. 325. 6) l. c. p. 261.
7) Comentar. in Boerhaavii Aphorism. d. cognosc. et curand etc. §. 593.
8) Instit. med. pract. Vol. II. §. 20.
9) l. c. §. 287.

que proprium signum a multis affertur; vexatur enim homo cogitatione atque timore, ne ab Erysipelate corripiatur, antequam hoc ipsum erupuerit; id quod indicio esse videtur, certas quasdam in interiori corporis compage mutationes agi molirique, quarum animus per proprium sensum fit certior, quin ullo alio, symptomate et functionum turbatione manifestarentur.

§. 3.

Prodromis antecessis malum hoc plerumque cum febre continuo remittente incedit et partem quandam superficiei externae sub phaenomenis pathognomonicis §. 1 iam adnotatis occupans, decursumque distinctum agnoscens, cum aliis exanthematis acutis similitudinem refert sane haud exiguam, atque praesertim Erysipelatis decursus a Scarlatinae decursu vix multum recedit.

Stadia sex in hoc morbo satis distincta observare licet. 1. Stadium prodromorum, 2. S. eruptionis 3. S. incrementi, 4. S. perfectae efflorescentia, 5. S. decrementi, 6. S. desquamationis.

1. S. primum offert signa sub prodomorum nomine in §. 2. consideratu; quae postquam plus minusve perspicua et insignia praecesserint, febris aut semel aut saepius hominem aggreditur, quam quidem sequitur, in uno alterove loco superficiei externae phaenomenon istud peculiare de quo in §. 2. disserui.

2. S. secundum adesse agnoscitur exhisce: euphoria in stad. prodr. valdopere depravata, eruptione facta aliquotenus redit, ipsa febris imminuitur, atque ubi Erysipelas extrorsum propellitur, ideoque

3. S. incrementi percurrit plane evanescit perfecta efflorescentia facta 1). Tunc Erysipelas per aliquot tempus sine ulla mutatione persistit, quo

4. S. quartum significatur.

Hoc vero tempore peracto phaenomena paulatim subsident et sensim sensimque evanescunt

5. S. decrementi.

6. Tandem, epidermide in furfuris modum et lamellarum secedente Erysipelas extoto discessum sextum stadium percurrit.

Stadia omnino in morbi decursu distinguere quidem licet, tamen tempus per quod singula perficiuntur, non sat succincte atque certe potest indicari; unde sequitur Erysipelatis decursum, pro tempore quidem aliquantulum differre posse, quin phaenomena, quibus stadia ostenduntur, minus cognosceremus.

Rubor signum maximi momenti, ubi ortus fuerit, increscit per aliquot dies, per idem tempus immutatus perdurat, lenteque decrescens plane abit, sequente epidermidis desquamatione. Die septimo aut nono processus hic plerumque finitur 1) saepius tamen ubi morbus fuerit pertinacior, persistit, remanetque per octo dies et ultra etiam sine ulla mutatione; cuius rei autor est Vogel 2). Experientia ergo et autores docent, E. decursum nonnullis quidem diebus finiri posse, tamen vero nonnunquam ad hebdomades quoque perdurare. In huius rei fidem conferas Hufeland 3) et P. Frank 4) qui multa hac de re verba faciunt.

---

1) Burserius l. c. §. 20. l. c. §. 21.

2) l. c. p. 319. 3) System etc, B. 2. p. 261.

4) Epitome l. c. §. 281 - 282.

Praeterea notandum est, Erysipelatis decursum non valdopere differre et quod auctores hac de re scripserunt', ratione initiur ut morbi ad Erysipelas ipsum adnumerentur, quorum facies externa, cum E. similitudinem quandam referant. Sed alibi paulo fusius hac de re disserendum mihi est, quam levius hic attigisse sufficit, et redeundum ad expositionem decursus E. veri, usque ad stadium decrementi iamiam considerati.

In hoc morbi stadio rubor et dolor paulatim evanescunt, atque ubi nono die plane delituerint omnisque tensio abierit, transitus instadium ultimum agnoscitur. Locus, quem antea Erysipelas tenuerat, subflavum calorem induit, sub sensatione pruritus molesti epidermis disrumpitur et lamellarum et furfuris in modum desquamatur.

Finis etiam Erysipelatis adhuc signis criticis universalibus testatur; sudore in his, in aliis diarrhoea, narium haemorrhagia (Frank. 1) Burserius 2) urina sedimento, puriformi instructa etc.

Ut Scarlatina at alia exanthemata, sic et Erysipelas exitum peculiarem offerre solet, nam semper fere discutitur idque desquamatione significatur. Etsi rarissime, tamen nonnunquam, in suppurationem E. exire videmus. Sedquod de suppuratione E. vulgo dici solet, non magni pretii esse videtur.

Ubi enim Erysipelas suppuratione finitur quod semper a constitutione vitiosa humorum corporis, mala

---

1) Epitome l. c. §. 282.
2) Inst. med. etc. §. 21

medendi ratione aliisque causis accedentibus dependet. 1); haecce suppuratio nil est, nisi aequalis et superficialis cutis excoriatio, quae solam cutis superficiem tenet neque unquam in profundum descendit. Teste Ill. Rustio 2)" Erysipelas verum nunquam in suppurationem transit, sed ubi vitiosam constitutionem corporis gangraena supervenerit, haec semper, ut iam monui, superficiem summam cutis tenet, nunquam vero profundiora aggreditur."

Quam hanc super rem vir experientissimus facem accendit, multa, quae obscura latebant, dilucidavit; neque discrepant opiniones auctorum spectatissimorum aliorum, quorum Cel: Kluge solummodo nominare liceat 3). Ipse Ill: Vogel dixit: Erysipelas, si purum neque cum phlegmone complicatum fuerit fere nunquam suppuratione finiri 4).

Reliquum esset, ut quid de Erysipelatis exitu in gangraenam sentire deceat exponatur; quoniam vero, quaede exitu in suppurationem, eadem de eius in gangraenam transitu valeant, quod a Vogelio 5) edoctissum supervacaneum foret, de hac re quidquam adiicere.

Si vero Ersiypelas aut suppuratio aut gangraena excipit, nihilominus periculum non tantum est, quan-

---

1) Rust im Magazin. B. 8. Heft. 3. p. 5c4.
2) ibidem.
3) eod. in loco. p. 525.
4) l. c. p. 322.
5) Vogel über die brandige Rose in Loders Journal für die Chirur. etc. B. 2. St. 2. p. 234.

tum semper nobis denunciatur; utraque enim in initio haud altius descendit, sed solam summam cntis superficiem, ut erysipelas ipsum, occupat atque interdum ample quidem se extendit, forsitanque autore Kluge 1) ab externa corporis superficie ad partes snppositas serpit, nunquam vero abscessum fluctuantem offert.

Attamen vero non omne periculum ab Erysipelate neque ab legitimo abest, quippe quoniam natura peculiaris ipsius fugax, haud impedit, quominus ab una parte ad alteram vagetur, ideoque ab externis partibus introrsum converti possit.

Ut Scarlatinae sic quoque Erysipelatis proprietatis semper rationem habeamus quaevis enim pars interna ab Erysipelate retroverso occupari potest, atque, quo pars affecta fuerit nobilior, eo periculum affertur maius.

Saepius ex Erysipelate subito recesso phrenitidem, pneumoniam, hepatitidem, ventriculi, tracti intestinalis inflammationem aliosque morbos periculosos consequi observabant praeter Hippocratem 2) Brocklesby 3) de la Motte 4) v. Swieten 5) P. Frank 6) etc. Retropulsio vero haec in morbi decursu fit neque unquam, ubi causa accidentali caves; et si nequeat negari, peculia-

---

1) Rust Magazin l. c. p. 525.

2) Aphor. sect. 7. p. 25.

3) oeconomical ad medical observations fram. 1758 to. 1763. etc. Lond. 1758.

4) Chirurg. Th. 1. obs. 92.

5) Comentaria in Boerhavi Aphorism.

6) l. c. p. 29.

rem! ad hanc loci mutationem Erysipelati proclivitatem inesse, saepius tamen causae minoris momenti hanc efficere possunt; quodvis enim refrigerium, terror, medicamenta calefacientia ad evocandam aberrationem in Er. decursu sufficiunt.

Propter hanc morbi proprietatem vulgo discernunt auctores inter Er. fixum et ambulans. Sed quodvis E. est fugax idque in genere ad ipsius naturam pertinet; unde etiam cum exanthematis aliis analogia satis superque elucet ab Ill-Rustio confirmata 1)

Neque silendum est ubi E. ab una parte ad alteram subito transfertur, desquamationem in parte antea affecta haud subsequi, ita tamen, ut parti postea affectae summum immineat periculum.

Quae hucusque de Er. decursu proposita, sunt, qualis morbi sit exitus, nos quidem edocentur; tamen pauca de eo adiicere liceat verba.

Mutatio loci et retropulsio ad Er. exitum vix referri possunt. Finitur vero morbus,

1) discussione, quae indicatur desquamatione;

2) suppuratione, quae ulcere superficiale late extenso manifestatur; (secundum Vogel cutis excoriatio tantum dici meretur 2) tamen Kluge superficiem ulce-

---

1) Magazin l. c. p. 504. Diese Rose ist übrigens wie alle ihr analoge exanthematische Krankheitsformen, flüchtig etc."

2) Handbuch der prakt. Arzneiw. Thl. 3. p. 322. „Die unvermischte Rose geht fast nie in Eiterung über. Höchstens entsteht hier eine flache excoriation der Haut," etc.

rosam putridam apertam, late extensam, offerre profert, 1)

Rarissime tamen Erysipelati gangraena et suppuratio supervenit, nisi constitutio vitiosa humorum corporis aliaeque res nocentes subsunt.

§. 4.

Opiniones permultae, eaeque diversissimae exstant, utrum Er. ad inflammationem sit adnumerandum necne?

Nunc inflammatio appellatur ambigua 2) nunc infl. lymphatica 3) nunc serosa 4) notha, nunc vera inflammatio 5).

Neque autores de huius morbi causa proxima minus inter se dissentiunt quam de eius denominatione.

Secundum Reilii definitionem Er. habendum est pro vasorum cutis inflammatione, praesertim superficiei externae corii, quae cum vasis in rete Malphighi propagatur 6). Hufelandio est inflammatio ostiorum et superficiei vasorum exhalantium 7); Richtero inflammatio lymphatica cutis vasis superficialibus forsanque glandulis mucosis cutis et reti Malphighi inhaerens, nunquam profundiora petens, sola excepta tela cellu-

---

1) Rusts Mag. l. c. p. 525.

2) Callisens System etc. p. 20.

3) Richters Specielle Therapie B. 2, p. 185.

4) Hufelands System l. c. p. 127.

5) Reils Cur der Fieber. B. 2. 330.

6) l. c. p. 329.

7) l. c. p. 266.

losa; late vero in cutis superficie serpens. 1). Vogel vasa ordinis secundi et fines exhalantium vasorum, neutiquam vero arterias ut in phlegmone corripi et seri lymphaeque mixtionem, non sanguinis mutari, opinatur 2).

Qualis vero cunque sedes et natura Erysipelati tribuatur; certo tamen in cutis superficie externa collocandum est; omnesque in hoc autores consentiunt. Quam vero huius partem teneat, dubio non vacat.

Quodsi vasa sanguifera re vera inflammata essent in Erysipelate, inflammatio neque tam subito oriri, neque evanescere, neque ab uno loco ad alterum quasi transilire posset. Tamen inflammatio superficialis habeatur necesse est. Quo enim alio modo explicandum foret, ruborem digito premente subito evanescere, idquod in phlegmone, substantiam partis cuiusdam occupante, minus accidit (Vogel 3). Quare non valdopere a veritate abhorrens mihi videtur opinio Erysipelas pro inflammatione reticuli vasorum lymphaticorum in superficie cutis externa dispersorum habendum esse.

Multa E: phaenomena hinc illustrare posse videtur; rubor enim late diffusus ac brevissimo saepius tempore evanescens cum copia vasorum lymphaticorum omnino convenit.

Ut rubor digito premente plane evanescat explicari potest ex eo, quod numerus vasorum lymph-

---

1) l. c. p. 185.

2) Loders Journal l. c. p. 245. Vogels Handbuch l. c. §. 117.

3) l. c. p. 318.

haticorum tantus est 1) ut sanguinis recessum apte et facillime admittant, neque impediant, quo minus humores viam aliam petant.

Inde simul elucet, cur remoto digito rubor subito revertatur 2).

Sententiae huicce obiici posset, inflammata vasa lymphatica signa diagnostica alia offerre; formari enim strias ramosque subrubicundos, vasis decursum ad proximas glandulas usque secutos.

At striae inflammatoriae fere semper e causa topica, e. g. laesionibus vasis lymphatici unius vel alterius proficiscuntur, neque in hoc exemplo omnia sed solummodo singula vasa inflammata sunt.

In Erysipelate vero omne reticulum vasculosum loci unius ab inflammatione correptum est, (Harles 3) ideoque rubor extenditur aequalis tumorque elevatur planus.

Praeterea commemorandum est, Erysipelas a causa interna eaque specifica, provocari; in illo vero casu causam topicam et quidem lymphae effusionem adesse ex vasis ruptis, idquod in Erysipelate minus accidit, sed vasa plane clausa et quae lympha alias, nunc sanguine repleta extenduntur, quod in inflammatione vasorum

---

1) Willim Cruikshanks Geschichte nnd Beschreibung der Saugadern aus dem Engl. v. Ludewig. Leipzig 1789. Thl. 1. p. 80—82.

2) ibidem Conf. Paul Mascagnis Geschichte u. Beschreibung der Saugadern. d. M. K. von Ludewig. 1789. p. 32—35. — Apsecta p. 43—44.

3) Rheinische Jahrbücher etc. B. 3. St. 2. p. 113.

horum plerumque fieri solet ut a Wrisbergio edocti sumus 1).

Iamiam monui V: l: inflammationem a peripheria ad centrum ad legem actionis V: l: centripetalis propagari; Sed contrarium quoque fieri posse ex sequentibns facili negotio apparebit. Dixit enim Hunter 2) inflammationem vasorum lymphaticorum saepe a dolore proficisci, eumque sequi priusquam humor qui imbibi posset paratus fuerit; neque semper petere cor sed ad peripheriam sese extendere. Hinc argumentum desumere licet.

Dolor enim saepe huiusce inflammationis oriundae causam praebet; at dolor systemati nervoso attinet, ad quod simul Erysipelatis prodromi ex magna parte referendi sunt; in cuius rei autorem conf: gravissimum Beat. Reil 3).

Erysipelatis ergo prodromi sunt perturbationes internae quae virium libram tollunt, ideoque morbum efficiunt. Permulta in organismi compage tum physiologica tum pothologica nos latent, quibus intimum arctissimumque cum nervis nexum haud negare possumus. Memineris contagiorum nonnullorum, quorum effectus ex perturbatis viribus potius, quam ex mutata materia derivamus; ideoque ad systema nervosum referimus.

---

1) Beobachtungen über das Saugadernsystem in Mascagnis Geschichte p. 158.

2) Versuche über das Blut, die Entzünd. etc. aus dem Engl. Leipz. 1797. B. B. 2, Abthl. 1. p. 120.

3) l. c. §. 111

Quomodo vero in exemplo meo, sicuti in illo quod Hunter nos docuit, inflammatio V: l: a systemate nervoso pendens a centro ad peripheriam potest progredi? Haec mihi res esse videtur: In inflammatione V: l: glandulas vicinas simul affici, satis notum est. Hoc idem fit in Erysipelate abs quo, ubi vel crura vel femora hoc tenuerit, inguinis femorisque, ubi extremitates superiores, glandulae axillares et cervicales ita affici consuescunt, ut levius doleant atque intumescant. Haud dissentit Burserius 1).

In inflammatione, quam veram esse putamus, idem licet observare, si vasa lymphatica in ambitu inflammationis posita implicentur; idquod secundum Soemmering fere semper fit 2). Idem vir experientiss. interdum vasorum absorbentium inflammationem non solum versus cor ascendere, sed etiam infra locum descendere asserit, unde patet, glandulas axillares affici in Paronichya ex inflatis vasis absorbentibus, ipsique Erysipelatis sedes in vasis absorbentibus esse videtur 1).

Praeterea non alienum videri posset ad motum retrogradum a Cruikshank 3) aliisque observatum sese convertere. Deinde quamnam inflammatio circa pustulam variolosam partem aliam tenet, nisi vasa lymphatica? at omnibus autoribus inflammatio lymphatica

1) l. c. §. 22.

2) de morbis vasorum absorbentium l. c. §. 1.

3) Soemmering l. c. §. 7.

4) Zusätze zu dessen Geschichte der Saugadern. d. M. K. p. 4.

habetur atque mira similitudo inter hanc inflammationem et Erysipelas Scarlatinamque intercedit.

§. 5.

Ex hisce rationibus luculentissime elucere videtur, Erysipelas pro phlogosi in reticulo externo vasorum lymphaticorum cutis habendum esse, indeque simul sequitur, quatenus ad naturae suae rationem exanthematis acutis apte adiungatur, neque minus intelligitur discrimen inter Erysipelas et phlegmonem, inflammatione praeter systema vas: sanguiferorum vasa absorbentia simul patiuntur 1), quod facillime fieri potest propter vicinitatem et quoniam impedito sanguinis circuitu systematis lymphatici circuitus depravari debet. Non dissentiunt in hac re a Mascagnio, Cruikshankio, Wrisberg et Blizard 3).

Quare sententia B. Reilii iusta severior habenda esse videtur, quippe qui Erysipelas aut inflammationem esse aut non esse, argumentatur; ubi vero fuerit inflammatio, veram esse debere 4).

Secundum ipsius difinitionem de inflammatione, quam peculiarem morbum vis vitalis vasorum sanguiferorum esse dixit 5) Erysipelatis focum in vasis san-

---

1) l. c. p. 42.

2) de morb. vas. absorb. §. 1.

3) Zusätze zur Geschichte und Beschreibung der Saugadern von Mascagni und Cruikshanks, von Ludewig übersetzt, Thl. 2, p. 164—167.

4) l. c. §. 105.

5) l. c. §. 65.

guiferis quaerere debemus. At experientia nos docet Erysipelati phaenomena pathognomonica phlegmones verae deesse.

Inflammationis verae quidem focum in vasis sanguiferis collocatum esse minime potest negari, sed sanguinem ipsum suam ferre partem ad inflammationem gignendam dubitari nequit. Non solum vasa in inflammatione morbo corripiuntur; sed sanguis ipse mixtionem chemico — organicum, quam sanus offert, relinquit.

Unde enim, si vasa sola correpta fuerint, productiones illae massae novae etc. ipsorumque vasorum?

Sat demonstratum est ab Ill. Rudolphi 1) tunicas serosas in statu normali vasis destitutas esse; Attamen mera inflammatione eas correptas se invenisse referunt Reil 2) P. Frank 3).

Mascagni 4) Cullen 5) Selle 6) Boillie 7); unde colligere licet sanguinis mixtionem mutatam multum ad inflammationem procreandam valere; At affirmatur haec opinio, ubi minus neglexeris, quoties vasa

---

1) Grundriss der Physiologie. Berl. 1821. B. 1. §. 113. An. 3—4.

2) l. c. p. 480.

3) l. c. Lib. II. p. 135.

4) De sedibus et causis morb. per anatom. indagat. Venet 1762. epist. 16—20.

5) Anfangsgründe der pract. Arzeneiwissenschaft. Thl. 1. p. 312.

6) Medicin. clinic. p. 89.

7) Sammlung für pract. Aerzte. XX. p. 342.

morbo corripiantur, quin productiones novae ut in inflammatione observarentur, quoniam sanguini peculiaris, quae eo requiritur, mixtio deest, proclivitas enim illa ad coagulabilitatem, qua in parte inflammata massae organicae novae imo vasa etc. producuntur.

Memorare liceat sententiam Vogelii, quippe qui non sanguinis, sed seri et Lymphae mixtionem depravatam esse in Erysipelate autumat 1) id quod ante eum Platnero placuit 2).

Ex praemissis satis supercue elucet, Erysipelas, respectu habito causae proximae, iure pro phlogosi habendum esse; differre tamen ab inflammatione vera. Quod vero ad signa diagnostica inter Erysipelas et inflammationem phlegmonoden pertinet, taceam donec comparetur E. cum exanthematibus.

Antea de causis occasionalibus Erysipelatis pauca verba faciam, necesse est.

§. 6.

Erysipelas est malum quod frequentissime et praecipue originem agnoscit ex primarum viarum consensu vel oritur, ex auctoritate nervosi systematis; vel ex propria quadam dispositione cutis ipsius ad E. gignendum; vel, quod frequentissime accidit, ex excretionum consuetarum retentione, e. g. menstruorum.

Quoad causas occasionales, tanta est eorum copia et multitudo, ut singulas enumeratu difficillimum sit.

---

1) Loders Journal etc. l. c. p. 245.

2) Plattneri instit. Chirur. §. 160.

Omnia enim quae in viis primariis mutationes quasdam gignunt praecipue ubi se et excretionem bilis, succi gastrici absorbtionem depravant, pro causa etiam occasionali haberi possunt. Alimenta nonnulla in hominibus nonnullis proprio modo systema nervosum incitant quod sub nomine indiosyncrasiae comprehendimus, et dispositio haec systematis nervosi frequentissimam Erysipelatis oriundi causam offert.

Permultae enim potentiae nocentes in systema nervosum primo agunt neque minus in hoc ac in systemate gastrico effectum quendum producunt, sic e. g. animi affectus, ira, terror, laetitia etc. se et excretionibus aut promovendis aut retinendis idonei sunt. Talis est connexus consensusque inter systema nervosum omnesque alias partes ut in hocce exemplo maximi momenti esse minus ducerent. At praeter animi affectus per quos in universo systematis biliosi et gastrici functiones pervertuntur, nutrimenta adhuc et medicamenta mutiplici ratione pro varia indole sua in causarum occasionalium enumeratione haud ultimas tenent.

Sunt praecipue acredines variae primum oleosa, pinguedines, carnes rancidae, pisces nonnulli, quorum quidem frequentissime auctores Catulo marino, hepati praeprimis, Erysipelati provocando vim addicendum esse existimant; neque minus huc referuntur e conchyliorum serie Mytilus, ostreae, quid quod in nonnullis hominibus ea est idiosyncrasia ut ubi anserina carne et cancris et animalibus aliis vescuntur, statim ab Erysipelate corripiantur.

Neque minus alimentorum non digestorum, bilis, succi gastrici, substantiarum putridarum, vermium, materiei alienae coacervatio, praesertim in primis viis, pro causis occasionalibus iure habentur.

Quae de propria cutis ad erysipelas dispositione vulgo loquuntur, ad systema nervosum potius referenda esse videntur; neque abhinc alienum est Erysipelas s. d. habituale, post refrigerium s. perspirationem cutis retentam iterum atque iterum revertens. Ex re-refrigerio ipso enim materia sudoris sub epidermide collecta febrem quidem excitare posset et rheumatismum inducere, vix tamen unquam morbo tam peculiari atque tam distincto, Erysipelati enim, oriundo causam praeberet, nisi nervorum propria affectio simul subesset.

Semper fere post refrigerium affectiones gastricae, saburrae etc. apparent, quorum quasi reflexus est Erysipelas, neque forsan a veritate nimis recedam, ubi E. metastasin esse contenderem; in qua re analogia inter Erys. et alia exanthemata intercedens me confirmari, lubentius confiteor. Pleraque omnia enim exanthemata acuta, Miliariam, Urticariam, Pemphigum, ipsamque Scarlatinam, Variolasque alia ratione, nisi ex metastasi oriri, vix mihi persuadere possum. Quae vero conditiones subfuerint, quae nunc febrem gastricam simplicem, nunc rheumatismam etc, nunc exanthema conflent, hucusque investigare minus nobis contigit.

Eandem rem esse arbitror in retentione consuetae excretionis e. g. menstruorum. Quo enim tempore menstrua urgent semper incitabilitas nervorum (vox,

qua Rudolphi utitur pro sensibilitate 1).) fit maior (Tissot 2).) unde facillime evenit, ex quavis affectione animi Erysipelas concitari possit. In genere mulieres etiam maiori proclivitate quam mares vexantur, idque propter ipsam maiorem incitabilitatem ex systemate sexuali proficiscentem (Rudolphi 3).)

Reliquum esse videri posset, paululum disserere de causis quibusdam occasionalibus, quorum omnes fere Auctores immensam copiam enumerant, de externis enim, sic dictis topicis quae ipsam cutem afficiant 4), tamen aptius omittendae mihi sunt visae, ut quae Erysipelati exanthematico gignendo minime sunt pares.

§. 7.

Utrum vero Erysipelas iure exanthematibus adnumerari queat, nec ne inquirendum est; quare haud supervacaneum esse mihi videtur; de affinitate morborum horum aliquid adiicere, atque quatenus Erysipelas cum exanthematibus conveniat eruere.

Exanthematum plurimorum instar Erysipelas quoque incipit ab iisdem prodromis, quos supra iam retuli atque incedit sub iisdem phaenomenis legitimis, quoad tempus quidem atque gradum non stabilitis, tamen, ubi

---

1) Grundriss der Physiologie. B. 1. §. 213.
2) Von den Nerven und ihren Krankheiten. B. 2. pag. 379.
3) l. c. §. 235.
4) P. Frank Epitome l. c. p. 46. Vogel l. c. p. 328. Reil l. c. §. 115.

ipsorum naturam spectes, semper sibi convenientibus (Rust 1).)

Erysipelas morbus est febrilis et quid de E. sine febre habendum sit, infra dicetur. Erys. a causis externis gignitum etsi suadent auctores, minime ad Erysipelas pertinere sed pro cutis inflammatione haberi debere, primus docuit Rust 2); quare hic solummodo de E. exanthematico febrili sermonem facere possum, cuius enim ratio ad febrem, naturam ipsius exanthematicam satis superque probare videtur. Febris enim ante Erysipelatis eruptionem apparet atque ubi febriles motus tam exigui sunt, ut huius symptomata fere lateant, ne unquam tamen perturbata euphoria ab eruptione abest sic ut quasi dicere liceat, Erysipelas ex febre nasci et produci. Eadem est res ubi exanthemata alia et contagiosa et non contagiosa consideres.

Rarissimum enim est ut exanthema sine prodromis producatur. Sine febre exanthema et vice versa febrem exanthematicam sine quavis ad cutem efflorescentia nonnunquam observari P. Frank et a. refert 3). De hisce vero exemplis abstinendum est. Exanthemata sunt productiones peculiares depravationis cuiusdam internae, cui ad systema lymphaticum praesertim rationem quandam vix denegare passumus (Richter 4).) Exanthematum instar Erysipelas gignitur e peculiari sys-

1) Magazin. l. c. p. 504.
2) ibidem p. 506.
3) Epitome l. c. pag. 5.
4) l. c. p. 244.

tematis lymphatici affectione et eius ope in cutem ad lucem, uti ita dicam editur.

Si forsan ex hac opinione eluceret, Erysipelas pro crisi aut metastasi haberi posse, ea propter minime E. ab exanthematum societate seiungitur, quoniam exanthemata tunc nil aliud essent; id quod ex iis patet quod de exanthematis in genere dixit Richter 1)

Alia est res in inflammatione, a qua febris excitatur, quam demum sequitur, qua progrediente simul febris augetur; idque argumentum maximi momenti esse videtur, Erysipelas omnino pro exanthemate et minime pro inflammatione genuina haberi debere.

Omnibus enim fere exanthematibus acutis peculiare et proprium id est, ut statim ubi exanthema extrorsum propellitur febris et incommoda universalia vel minuuntur vel plane evanescant, ut euphoria redeat, atque aeger acsi, crisis perfecta facta fuerit, post exanthematis eruptionem bene sese habeat (Burserius 2) Richter 3) etc.)

Hoc ad ipsam Erys. naturam pertinet secundum Vogel 4) Burserium 5) et alios. Quando vero hoc in inflammatione sic dicta phlegmonode fit? nunquam profecto; immo augetur febris in quavis inflammatione ubi haec creverit ipsa. Prae ceteris vero exanthema-

---

1) l. c. p. 246—258.

2) Instit. med. pract. Vol. 2. §. 60.

3) l. c. p. 253.

4) l. c. p. 319.

5) l. c. §. 21. „Rarissimum enim est, febrim ultro perfectam Erys. eruptionem produci.“ etc.

tibus et morbis aliis, maxima similitudo intercedit inter Scarlatinam atque Erysipelas, quorum discrimen vel adeo exiguum est, ut Scarlatina Erysipelas universale quibusdam visa sit. Harles sententiam hance proposuit 1) idemque E. pro morbo exanthematico haberi debere exposuit; neque minus Schmalz Scarlatinam sub Erysipelati universali enumeravit 2),

In genere re vera Erysipel. phaenomena, exceptis signis nonnullis specificis, ad Scarlatinam prope accedunt;

a) Aeque Scarlatinae (Vogels) ac Erysipelatis eruptioni febris accessus vel singuli, vel bini, vel plures praecedunt.

b) In toto E. et Scarlat. decursu ratio est eadem; sicuti enim E. decursus, id quod iamiam §. 3. retuli, tempus non tam stabilitum agnoscit, sic et Scarlatinae; saepe enim Scarlatinae rubor aut per duos, tres aut quinque et sex dies crescens, per tres dius fixus remanet (Burserius 3) Hufeland,) aut nono demum die abit (Vogel 4) nisi per longius ad eo tempus, id quod Vogelio visum est, exanthema sine ulla mutatione persistit et postea serius ocyus finitur sequente epiderminis desquamatione.

c) Eodem modo et in Erysipelate et in Scarlatina maculae subrubicundae diversae magitudinis atque for-

---

1) Rheinische Jahrb. B. 3. St. 2. p. 120.

2) Versuch einer med. chirur. Diagnostik in Tabellen. p. 232.

3) l. c. p. 254.

4) l. c. §. 61. 5) l. c. p. 255—256.

ma irregulari apparent; desquamatio quoque in malo utroque aut furfuris aut lamellarum in modum subsequitur.

d) Utrique exanthemati proprium est, ut interdum, quod quidem rarius accidit, cutis, quo ab exanthemate libera evasit loco, dissolvatur atque desquametur (Richter 1).

e) et in hoc at in illo morbo cum pruritu coniuncta est desquamatio.

f) Natura fugax tum Erysipelati tum Scarlatinae indita est, qua de re iamiam supra verba feci, monens simul phlogosin veram nunquam tam celeriter oriri et evanescere quam Erysipelas.

g) Neque silendum est Scarlatinam etiam saepissime phaenomena praese ferre, quae in Erys. pustuloso eadem observantur; vesiculae enim minores in maculis scarlatinosis elevantur aut simul cum exanthemate apparent de quare cónf. Rosenstein 2) Vogel 3) et alios.

Quod de Erysipelatis exitu sit habendum iamiam monuimus in §. 3. quare hic omittendum est.

Ratione causarum habita multimodo cum exanthematis Erysipelas convenit et excepto contagio, causa eadem tum Erysipelati tum morbillis, non minus Urticariae febri et nonnunquam Scarlatinae adeo subesse, experientia sat nos docet.

---

1) l. c. p. 204.

2) Kenntniss und Cur der Kinderkrankheiten, aus dem Schwed. von Murray. p. 332. u. 335.

3) l. c. p. 261.

Necesse mihi videtur, minus negligatur, omnia fere exanthemata affectione quadam systematis gangliorum peculiari initi et nunquam fere depravationes systematis digestionis abesse, quo ex fonte exanthemata potissimum egerminant, quippe quae originem agnoscunt ab reactione quadam interna, ab reactione nimirum systematis lymphatici contra systema digestionis et venae portarum.

Dispositio ad gignendum Erysipelas ab ea exanthematum ceterorum vix differt, memoratuque dignum esse videtur causas occasionales, — (quae saepius nil sunt, nisi partes atmosphaerae subtilissimae miasmaticae, quae nos fugiunt, aut qualitas peculiaris partium constituentium alimentorum quorundam, aut animi pathemata, cuiuscunque fuerint indolis, ideoque nervorum affectio) — tam distinctum propriumque effectum efficere, peculiaremque immutationem morbosam in organismo provocare talem, ut in hoc Erysipelas in alio vero sub iisdemque conditionibus Pemphigus acutus, Urticaria febris etc. progigni possit.

Quodsi responderetur, non semper iisdem causis, eosdem etiam effectus procreari, tamen id praecipue mihi favet, ut non semper ad exanthema procreandum causa quaedam specifica requiratur, vel saltem non possit demonstrari et in ipsorum exanthematum serie nonnulla existunt de quorum causa autores dubio non vacant, e. g. Miliaria nonnullis pro morbo contagioso habetur; qua de re Burserius multa verba fecit, contagiosam miliariae indolem demonstrare studens 1); At

---

1) Inst. Vol. II. §. 397. et 398.

docent alii miliariam morbum esse posse et contagiosum et non contagiosum (Hufeland, Vogel 1), dum alii contagium miliariae ex toto denegant quorum stat partibus Stoll 2) neque minus P. Frank. 3) dicens: „sufficit interim sporadica ex causis saepe manifestis fabrefieri Miliaria, atque ex biliosis verminosis aliisque saburris, aut rebus par idiosyncrasiam nocentibus etc.“ Minime ergo alio modo morbus hic ab omnibus autoribus exanthematis adnumeratus, sese habet, quam Er. sub iisdemque conditionibus uterque morbus oriri potest, et similitudo eorum, quoad sedem in cute, et natura quasi critica axioma minime refellit ut non semper causa eadem effectum etiam eundem habeat.

Non dubitandum est, etsi explicatu fuerit difficillimum, quasdam conditiones internas latentes inter se continentes, adesse, quibus efficiatur, ut et in Erysipelate et in aliis morbis exanthematicis e. c. in variolis, quas morbum contagiosum esse, nemo est, qui negat, digestionis systema corripiatur; Ante Variolarum enim eruptionem ubi iamiam contagium corpori insitum est, systema nervosum 4) et praesertim splanchnicum afficitur, coenaesthesis enim depravatur prae omnibus, nausea et vomiturítiones subintrant, phaenomena, quae in erysipelate nascente eadem observantur.

---

1) Handbuch etc. §. 135—141,
2) Ratio medendi Tom. II. p. 162.
3) Epitome c. l. p. 142.
4) Sprengels Inst. med. Tom. IV. p. 391.

Praeterea autores fere omnes in systemate digestionis Erysipelatis rationem statuerunt, et profecto nunquam fere signa gastrica in hoc morbo aberunt. conf. Vogel 1). Saepius quidem fit, ut signa haec cum morbi ipsius exorientis symptomatis confluant, nec ante ipsum adsint, quo in exemplo tum affectiones gastricae tum Erys. a causa una eademque gigni possunt, quoniam nobis ignaris quiddam subesse potest, unde uterque morbus elicetur. Inde fit, ut effectus et causa commutentur.

Ex analogia inter E. cum Variolis elucere mihi videtur, causam quandam subtilissimam, miasmatibus, cotagiis forsan haud dissimilem adesse, qua peculiari modo systema gangliorum et digestiones afficiatur, bilis secretio augeatur depraveturque, unde simul systema lymphaticum proprio modo ita incitatur ut in superficie externa corporis malum tam proprium appareat.

Unumquodque exanthema signa specifica vel comitantur vel illud praecedunt; Scarlatinam enim angina, Morbillos oculorum, Variolos systematis digestionis affectio antecedere atque comitari solent, et experientia extra omnem dubitationis aleam posuit, systematis gastrici ac biliosi affectiones Erysipelati esse proprias et peculiares; et saepius pro eius causa haberi debere.

Dicere quidem liceret, affectiones hasce pro effectu eiusdem causae, qua E. provocatur haberi posse, et

1) l. c. p. 327.

ubi sordes verae gastricae observantur, pro complicatione haberi mereri.

Ut vero cunque res sit, tamen inde propinquitas et affinitas Erysipelatis cum exanthematis confirmatur.

Neutiquam tanta est E. similitudo cum phlegmone. Ex originis enim et decursus atque exitus descriptione Erysipelatis, iamiam discrimen inter morbum utrumque elucet. Etsi permulta adhuc argumenta restant, quae E. pro exanthemate haberi iubeant, tamen haec sufficere mihi videntur, quoniam ceteroquin in exanthematum divisione genera exstant; quae non omnia a contagio dependent; nec ipsorum exanthematum notio tam distincte definire licet.

Apte ergo Erysipelas seriei exanthematum non contagiosorum adnumerandum est, quorum quidem primum ponendum est quippe, quod proxime Scarlatinae adiungitur.

De similitudine utriusque morbi disserunt Hufeland 1) et Sprengel 2) qui ultimus E. quidem inflammationibus adnumeravit, tamen transitum ad exanthemata formare statuit. Praeterea vero permulti auctores iamiam E. exanthematis accensuerunt quorum memorare sufficit, Vogel P. Erank, Rust, Kluge, Burserium

§. 8.

Iam de Erysipelatis divisione quaedam dicenda sunt, atque hercle mirandum est, autores morbos adeo diversos sub nomine Erysipelatis complexos esse.

---

1) System der pract. Heilkunde, B. 2. p. 266.
2) Inst. med. T. 4. §. 119.

Perclare elucet Erysipelatis notionem non decenter constitutam esse, si autorum inter se plane dissentientium opiniones perlustraveris. Singulae enim E. species diverso modo definiuntur et quo magis autores inter se differunt, eo magis divisionis principium iustum eos latere, sine erroris periculo concludere licet. Id quod ex consideratione unius E. speciei videre est.

Eligamus Erysipelas universale; vocatur a Richtero 1) malum a perturbatione interna organismi ortum, quod cum febre coniunctum esse consuevit. E. universale Reilio 2) est E. supra totam corporis superficiem dispersum, rarius quidem, tamen nonnunquam auctore Salmuth occurrens. Schmalz 3) hocce nomine vult insigniri E. quod ubique, vel saltem circa magnam partem superficiei corporis diffusum est et iunctam cum febre essentiali, qua significat febrim exanthematicam, exanthema acutum, essentiale, primarium 4).

Sed aliorum autorum sententias omittam. Tantus enim est numerus specierum Erysipelatis apud autores ut difficillimum sit secundum logicas leges eas consideratu: idquod iamiam Richtero visum est 5).

Prae ceteris vero persuasum mihi habeo, quod experientia probari videtur, divisionis principium,

---

1) Specielle Therapie. B. 2. p. 187.

2) Cur der Fieber l. c. p. 336.

3) Diagnostische Tabellen. p. 332.

4) Schmalz l. c. p. 212.

5) l. c. p. 187.

quo hucusque uti consueverunt, non aptum praebere, et secundum nostram Erysipelatis notionem ex serie specierum Erysipelatis plures eiiciendas esse, dum limitem prosequimus quem Ill, Rust demonstravit. Non enim omnes morbi Erysipelati adnumerari possunt, qui ad phaenomena externa Erysipelati sunt similes. Sed res ipsa loquitur. Perperam v. e. distingunt inter E. universale et topicum, quoniam quodvis E. pro morbo universali haberi debet. Neque de Erysipelate phlegmonoso unquam loqui licet, et vera in adiecto continetur contradictio phlegmonosa inflammatio omnibus autoribus Erysipelati opponitur, quippe quae in parenchymate, in substantia organi affecti posita est; in qua vasa sanguifera correpta sunt 1) unde fit ut symptomata pathognomonica Erysipelatis valdopere differant, decursumque exitumque alium agnoscant; ideoque nunquam E. phlegmonosum potest et ubi phlegnome Erysipelati complicatur, interdum inde speciam ipsius constituere, minime sequitur. Hoc autoribus pluribus ita visum est 2). tamen vero de Erysipelate phlegmonode loquuntur.

Damnum vero maximum ex morborum horum permutatione cum Erysipelate, quoad curationem, sequatur necesse est,

In omnibus enim fere morbis internis, inflammatoriis nunquam Erysipelatis phaenomena desunt; in furunculo, carbunculo quocunque rubor cutis animad-

---

1) Callisens System. Thl. 1. p. 57—60.

2) Vogels Handbuch l. c. p. 321. Reils Fieberlehre l. c. §. 110.

vertitur, et in decursu malorum horum semper phaenomena Erysipelatis producuntur (Rust 1) Reil 2).)

Ulcus quodcunque cutis semper rubore circumdatur. Quodcunque malum partis cuiusdam profundioris v. c. inflammatio et telae cellulosae, et periostei, aut ossium, quod iamiam Hippocrates monuit 3), suppuratio, gangraena, induratio, scirrhi etc, cuiusvis humoris stagnatio, aquae accumulatio in tela cellulosa sub cute, ossium fracturae, articulorum luxationes et permulti alii cutis inflammationem ideoque Erysipelatis phaenomena inducere valent, idquod Rust 4) Reil 5) P. Frank 6) Burserius et 7) alii testantur. Inde varia specierum Erysipelatis nomina orta sunt, E. enim phlegmonodis, oedematosi, scirrhosi, carbunculosi, chirurgici etc.

Quodsi vero omnes morbos, quibus externa cum Erysipelate est similitudo, ipsi accensemus, immensum habemus specierum numerum.

§. 9.

Quomodo vero E. dividatur?

Aptissimam a solita divisione maximopere quidem

---

1) l. c. pag. 507.

2) l. c. §. 40.

3) Aphorism. Sect. VII. opera Hipp. per Pierre. Tom. III. ubi verba sunt. „Ex nudatione ossis Erysipelas etc.“

4) l. c. p. 506.

5) l. c. §. 110 — 115.

6) Epitome l. III. §. 288.

7) Institut. med. Vol. II. §. 26.

recedentem, naturae vero prae ceteris consentaneam, nuperiori tempore Ill. Rust proposuit, pauca quidem, ea tamen gravissima verba de Pseudo — Erysipelate commentatus, atque ingenio et sagacitate insignis, novam hanc super rem facem accendens.

Perperam Erysipelatis nomine uti ad nostrum usque aevum consueverunt haud unum, sed tres eosque diversissimos status hac denominatione insignientes.

1) Primum Erysipelas verum exanthematicum;

2) tum, Erysipelas spurium, Pseudo — Erysipelas, quod Kluge sub nomine Erythematis nobis refert, quod quidem esse potest.

a) Erythema idiopathicum a Burserio nomine Erys. accidentalis significatum.

b) Eryth. symptomaticum s. consensuale 1).

Quantopere vero auctores in hac re dissentiant, tamen non omnino Erysipelatis huius spurii ignari sunt. Sicuti in per multis aliis sic quoque in hoc exemplo, Burserius sat apte et iuste E. species sistit. Sunt illi 2).

1) Erys. protopathicum, idiopathicum, cui adhuc nomina imponit, veri legitimi, essentialis primarii, et hisce nominibus Erys. sponte et sine ullo morbo praecedente erumpens ex causa peculiari interna genitum vult significari.

2) Erys. quod spurium sive nothum audit, quo complectitur.

---

1) in Rusts Magazin. l. c. p. 525.

2) l. c. §. 19.

a) E. fortuitum sive accidentale, quod non ab interiore sanguinis labe aut depravato aliquo humore sed a manifesta, atque exteriore causa progignitur.

b) Erys. symptomaticum, sine deuteropathicum, quod ab alio morbo pendet, veluti membris luxatis, aut fractis, hydropi, oedematibus supervenit. Ad ultimum adhuc refert. E. phlegmonodes, oedematodes, scirrhodes atque alia quae ad spurium et Callisenio 1) ad symptomaticum revocantur, quae Gorterius 2) ad Erys. compositum redigi iubet;

Omnino haecce discrimina generum Erysipelatis in curando utilitatem haud exiguam offerre, non negandum est, verum tamen necesse videtur Erysipelas verum exanthematicum ab aliis, similibus morbis diligentissime accuratissimeque distinguatur, id quod minus negligetur simulac ab Ill. Rustii sententia minus recesserimus.

Quod attinet ad Erys. exanthematicum, iamiam pauca de eo supra monui, cuius quidem devisionis principium sola a febris indole desumendum, est visum (P, Frank 3).)

Quod Hufeland in inflammationibus statuit, sthениam topicam cum charactere asthenico coniungi posse 4) ad exceptionis potius, quam ad regulam referendum est.

---

1) System der Chirur. Thl. 1. p. 70.

2) Chirurg. Repurgat. Lib. X. cap. IV. §. 1422.

3) Epitome. Lib. III. p. 30.

4) System etc. B. 2. p. 124

Haec vero docet, omnia exanthemata acuta febris qualitati congruere; B. Reil iamiam edocuit Erysipelati minime characterem ex auctoritate sua inditum esse sed tanquam species ad febrium genus pertinere febrem puto synochicam, typhosam, et paralyticam 1).

At forsan haud inepte in febrium divisione Hufelandium potius quam Reilium sequimur, atque ad istius divisionis rationem Erysipelas comitari potest,

1) febris simplex seu pyrexia,

2) f. synochica sive inflammatoria,

3) f. typhosa s. asthenica, quae vel a) sub Typhi nervosi vel b) putridi specie incedit.

Ubi vero quaecunque febris species E. comitari potest, iu quo Vogelii auctoritatem provocare sufficere mihi videtur 2), saepissime tamen cum inflammatorio gastrica incedit; quod cur fiat, supra expositum est.

A febris charactere et indole decursus exitusque Erysipelatis dependet. Erys. enim febri synochicae coniunctum celeriori passu ad exitum legitimum perducitur quam quod typhus comitatur. Erysipelatis cum typhosa febre iuncti ut febris ipsius decursus retardatur, discussio plerumque incompleta succedit, neque raro accidit, ut desquamationis loco, excoriatio aut quasi exulceratio partis affectae subsequatur; cuius rei exempla invenies apud Vogel 3)

Praeter E. differentias a febre dependentes, solum

---

5) Reils Cur der Fieber etc. B. 2. §. 114.

1) Handbuch l. c. § 118.

2) Loders Journal l. c. p. 234.

1) Erysipelas pustulosum species haberi posset, cui proximus est,

2) Ignis St. Antonii sive Hieropyr.

Quoad primum; non raro accidit, ut in rubore erysipelaceo phlyctaenae seu vesiculae materia seroso-lymphatica, coloris ut plurimum flavi, repletae exoriantur. Nonnullis pro signo diagnostico habetur ut phlyctaenae simul cum Erysipelate ipso prodeant (P. Frank 1) Richter 2);) alii vero phlyctaenas semper in decursu demum oboriri opinantur, (Wichmann 3) Vogel 4).)

Egomet ipse nunquam vidi vesiculas simul cum rubore erumpere sed paulo post ruboris eruptionem apparere.

Plerumque phlyctaenas singulas discretasque observamus magnitudinem lentis, pisi, fabae imo gallinacei ovi prae se ferentes, nonnunquam tamen confluentes.

In genere observare licet, E. pustulosum vehementius esse, quam legitimum, ac perturbationes graviores illud comitari, quod faciem potissimum subigit. Decursus tamen a legitimo vix differt; stadia enim eodem modo percurrit. Pustulae omnino supra cutem elevari solent, mox vero iterum corrugantur, aut cuticula rumpitur et citra squamulam iustam delabitur, lympha

---

1) l. c. §. 282.

2) Spec. Therap. B. p. 196.

3) Ideen zur Diagnostik. B. 1. p. 70.

4) Handbuch etc. Thl. p. 321.

siccata, nonnunquam vero suppuratio superficialis subsequitur.

Hoc erysipelatis genus saepissime epidemice grassari observatur, qua de re Sydenham, de la Motte, Stark e. p. a. exempla referunt.

Ignis St. Antonii ex constitutione peculiari, vel corporis vel athmosphaerae, aut aliis causis nocentibus intercurrentibus eum potest inducere modum ut nomine Erysipelatis Maligni insigniri mereatur (Sprengel1);) Quamquam adhuc species quaedamquae quandam cum Erysipelate similitudinem prae se ferunt, Erysipelati ipsi adnumerari solent, ut morbis, qui audit Zostra, Zona Cingulum, Circinus, gräcis ζωνη, ζωςηξ; tamen propter indolem peculiarem morbus hic proprio loco in exanthematum serie dignus videtnr, id quod sagacissime Burserius 2) et Wichmann 3) illustraverunt.

De huiusce morbi notione permultae omnino dissensiones apud autores inveniuntur. Ipsam Hippocratem morbus non latuisse videtur; loquitur enim 4) ut Celsus 5) de ulcere quodam maligno, nomen cui tribuit επινυκτιδι, id vero a Zona nostra parum differre videtur. A Plinio vero Ignis sacer verbis haud ambiguis describitur et plures enumerat species, et Zonam enecare dicit hominem, quem cinxerit 6).

---

1) Inst. med. T. IV. §. 223.
2) l. c. d. 44—57.
3) l. c. p. 67—90.
4) Epid. l. VII. p. 1114.
5) de medicina p. 336.
6) Naturae histor. L. 26. cap. 11.

Quae autores complures de hoc morbo senserint, tacere mihi liceat sed minus alienum duci posset, ut dignoscatur ab Erysipelate, pauca verba de Zona adiicere, depingendo imaginem secundum naturam et auctorum descriptiones.

Atque primum non silendum est Zonae id esse proprium et peculiare a) ut semper in uno tantummodo corporis latere et quidem semi singuli instar appareat; id quod neque Plinium et Galenum neque plurimos veteres latebat. Locus quidem non plane distinctus significari potest, sed teste Haenio 1) aut pectus, aut dorsum aut scapulae aut brachia, imo crura aut frons ab hoc exanthemate corripiuntur ita tamen, ut nunquam ab anteriore parte abdominis lineam albam nunquam a postica spinam dorsi superscandat, ideoque in uno latere persistat, b) in Zona semper phlyctaenae statim ab initio elevantur, id quod ad Wichmann sententiam signum diagnosticum haberi debet 2); in Erysipelate pustuloso phlyctaenae morbum increscentem superveniunt. c) in Erysipelate rubor roseus summam cutem occupans nec eam attollens primum apparet, in Zona vero pustulae eaeque profundius insidentes prius elevantur, quas partes demum rubor ita circumdat, ut inter ipsas pustulas insulae quasi appareant. (Burserius 3) et Wichmannus 4).) d) dolor in Zona vehementior quam in Erysipelate pustuloso adest.

---

1) de febribus divis. 6. p. 112.

2) l. c. p. 70.

3) l. c. q. 52.

4) l. c. p. 71.

Satis superque ex hisce elucere videtur, Zonam pro Erysipelatis specie haud haberi posse; cuius sententiae argumenta plura adhuc adiicere liceret, hic tamen omittenda, ut quae minus valent.

§. 10.

Restant adhuc morborum species, Erisipelati semper adnumeratae, quas Burscrius sub Erysipelatis accidentalis et symptomatici 1), Callisen sub E. symptomatici nomine complectuntur, Pseudo-Erysipelas ab Ill. Rust a Cel. Kluge E. spurium, s. Erythema denominatae 2).

Excepto 1., Erysipelate vero exanthematico simplici cum speciebus suis 2. E. pustuloso et 3. Igni St. Antonii (Hieropyre) ceterae omnes morborum species perperam Erysipelati adnumerantur; sunt enim Erysipelata omnia aut a causis topicis in cute elicita. aut ab alio morbo, eodem tempore hominem vexante, dependentia aut ex antecedente morbo orta.

Horum etsi neutiquam ad Erysip. ipsam, pertinentium tamen mentio facienda est, propterea quod semper Erysipelati adnumerari solent.

Praeterea haud parvi existimanda sunt, quoniam ab iis dependet mala Erysipelatis fama. Hos enim morbos exitus varii maligni, Erysipelati addicti, sequuntur destructiones enim partium affectarum, virium totius organismi consumtio nec raro ipsa mors.

---

1) Burserius Inst. med. pract. Vol. II. §. 19. Callisens System. §. 222.

2) Rusts Magaz. l. c. p. 506 et 525.

Omnes ergo inflammationes cutis ipsius et quidem a causa manifesta externa in cutem ipsam agente ad hanc classim pertinent.

Ad has vero causas referuntur omnis cutis irritatio, compressio enim, lenis ignis, solisque ardor, insectorum morsus, vulnera, epispasticorum applicatio, unguenta, vegetabilium succus acrium et animalium etc.

Omnium horum ope inflammatio cutis gigni potest quae omnino cum Erysipelate similitudinem quandam refert, facile tamen ab eo dignoscenda. Dignoscitur vero, a) ex ipsis causis, plerumque manifestis et absolute externis, b) ex eo, ut nunquam febris Erysipelas antecedat, sed ubi adest in decursu accedat. Signum non satis tutum hoc praebere, legere est apud Wichman 1) qui se maculas plurimas cutis, a Rhois toxicodendri tactu ortas adspicientem; de morbi natura dubium per aliquod tempus, haevisse confitetur; c) rubor ab erysipelatis genuini rubore distingui potest. Deest enim nitor ille Erysipelati peculiaris. Praeterea rubor magis circumscriptus est in cutis inflammatione. d) Stadia Erysipelatis in inflammatione haud observare licet; usque enim ad stadium acmes crescit et tunc evanescit. Decursus in genere non tam regularis observatur. e, Inflammatio locum in quem causa agebat, servat, ideoque est constans et minime fugax (Rust 2) P. Frank 3) nunquam subito sine desquamatione evanescens.

1) Scherfs Beiträge zur medic. Polizei. Samm. 3. St. 2.
2) l. c. p. 509.
3) l. c. §. 289.

Neque intro convertitur inflammatio ad partes internas sed partem affectam ultra saepius serpit.

Quodsi inflammatio cutis simplex a causa aut manifesta aut ignota orta adest, tunc e syndrome et symptomatum et causarum et conditionum aliarum concurrentium concludendum nobis est utrum Erysipelas, an inflammatio, Erythema idiopathicum adsit.

Saepius vero hoc distinctu est difficillime, ubi causae indoles nos latet nec ullo modo cutis laesa est. Causarum ergo perscrutatio ut in quovis morbo, sic praecipue in nostra maximi momenti ducatur, necesse est, Uredo cutis simplex ubi cum Erysipelate confunderetur, damnum vix inde capiet aegrotus.

§. 11.

Periculum summum imminet ex Erythemate symptomatico, tempore iusto haud cognito neque ab Erysipelate distincto. Quare non supervacaneum, quid? quod necessarium mihi videtur signa utriusque morbi diagnostica enumerare.
Saepius in nosocomio caritatis copia mihi facta est observandi morbi, cui E. symptomaticum alias nuncupato, Pseudo-Erysipelatis nomen Ill. Rust imponit. Hisce vero criteriis sat manifestis, tum ab inflammatione cutanea, a stimulis externis inducta, tum ab Erysipelate vero exanthematico distinguitur. 1. Rubor inflammatorius non adeo aequalis diffusus, singulis locis magis saturatus apparet et passim violaceum imitatur colorem 2. Pars affecta minus calet et minus adstricta est qnam in Erysipelate, sed mollior, interdum dura et nodosa comprehenditur, saepe numero protinus ab initio

morbi manifesta sentitur fluctuatio. 3, Rubor quidem si digito prematur, evanescit, sed diligentiori attentiorique observatione animadvertemus, ruborem non plane evanescentem, sed punctum rubrum in medio etiam atque etiam remanens. 4. Aegrotus dolorem haud ardentem sed pulsantem, membro, penitus insidentem et inflammationis erysipelaceae gradum longe superantem conqueritur. 5. Nullo modo cum inflammationis gradu partis tumor, verum tamen cum dolore rationem iustam habet. 6. Dolor et nodosa cutis degeneratio saepissime cutis inflammationem praecedunt. 7, Inflammatio orta longius, tardius vero extenditur et quasi per partem affectam serpit. 8. Quoad exitum remedia discutientia frustra adhibentur, sed malum paulatim chronicum evadit, et inopi nato loca quaedam subsidere magis quam elevari observavimus et fluctuationem vel obscurius vel luculentius denunciare gangraenam induci, aut, id quod fere semper, destrui partes adiacentes.

Ceteroquin in morbi initio causas quascunque externas deesse, quae ad cutis inflammationem vulgarem gignendam aptae sunt, minime negligendum est. 1)

In omnibus fere autoribus tum vetustioribus tum neotericis legere est, Erysipelatis exitus esse varios et valdopere differre posse; ipsum vero ita describunt ut quid propriae sibi velint, intellectu sit difficillimum.

Docent enim, semper si Erysipelas suppuratio

---

1) Rusts Magaz. l. c. pag. 509. et s.

excipit, pus non esse benignum sed saniosum, qualitatis corrosivae, ita, ut partes subter cutem positae corripiantur, ut tela cellulosa inter musculos et musculi ipsi destruantur; ut foramina in cute plurima exedantur, e quibus tela cellusa putredine vitiata protruditur; ut non raro fistulae omnem medentis curam respuentes, ossium caries et destructio tanta efficiantur, ut vis vitatis inde consumatur, ut febris lenta inducatur et ipsa denique mors subsequatur.

Talis morbi exempla iamiam nobis referentur ab ipso Galeno 1) et a posterioribus, nec minus a recentioribus, a Richter enim 2) Vogel 3) Reil 4) et aliis.

Saepenumero morbum excipit induratio telae cellulosae subter cutem nimirum, imo quandam eius speciem existere narrant, quae tanta proclivitate ad eam fertur ut, metamorphosis inflammatoria quasi inde incipiat. Richter 5).

Nequit quidem negari huiusmodi exempla occurrere, imo saepius hodie observare licet, sed neutiquam Erysipelas pro causa tantae destructionis habendum est, Erysipelas enim et Erythema idiopathicum, neutiquam in suppurationem transire potest. Eam enim ad summam, excoriationem superficialem sequi

---

1) Therapeutica interpret. Thoma Linaerio. cap. 15. pag. 526.
2) l. c. p. 205.
3) Handbuch l. c. p. 322.
4) Fieberlehre. B. 2. §. 116.
5) l. c. p. 207.

inter omnes autores satis constat Vogel 1) Rust 2) Kluge 3).

Metamorphosis vero illa morbosa, quam destructiones illae sequuntur, tantum periculum adducentes maximi momenti existimanda est; minime vero, uti perperam putant, Erysipelas istius causa est; sed quod animadvertatur, Erythema, ut symptoma in decursu, demum advenit, ex vitio profundiori oriundum, quod priusquam Erythema gigneretur iamiam aderat.

Destructiones illae ante ipsum Erythema iamiam adsunt, atque sane intellectu difficillimum foret quomodo tempore tam brevi oriri possent. Experientia enim exempla permulta nobis refert, id quod testatur Cel. Kluge 4) atque egomet saepius vidi ipse, ut subito erythema consensuale cutis oriatur et fluctuatio paulo post quidquod, saepe paucis horis post animadvertenda sequatur.

Quodsi, rebus sic sese habentibus, ad malum profundius cultro petimus sanies saltem maligna et tela cellulosa sanie correpta, laqueorum et panni instar copiose exoneratur, nisi ipsum periosteum et os carie correptum, atque destructum est.

Destructiones hae saepius inopinato et brevissimo tempore animadvertuntur, et ex morbi ipsius decursu patet, Erythema exitum morbi huiusce denunciare,

---

1) Handbuch etc. p. 322.

2) Magazin. l. c. p. 504 et 508.

3) eod. loco. p. 525.

4) ibidem p. 526. sub. a.

neque pro causa haberi posse. Effectus cum causa confunditur.

Omnes in eo observationes congruere videntur ut prae ceteris partibus telam cellulosam potissimum putredine correptam et in saniem conversam esse, doceant. Rust 1) et Kluge 2) tanquam momentum causale frequentissime apparere, docent: telam cellulosam degeneratam, quam veram necrosin vel sphacelum t. c. denominare suadent. A quanam vero causa occasionali, malum hoc periculosum adducatur, nondum sat exploratum est. Omnino constitutionem peculiarem, coelique rationem, praesertim frigus severum ad hoc malum gignendum multum valere experientia sat docere videtur, in hieme enim praecipue, vero frigidissimis mensibus frequentissime malum hoc observatur; homines quibus temperiei mutationes evitare minus contingit potissimum ab eo corripiuntur. Huc etiam factum pertinere videtur, extremitates inferiores fere semper morbo hocce implicari.

Primo vero semper telam celluiloam quaerere et afficere morbus videtur, quae quibus uberior indita est partibus, eae uberrime a malo corripiuntur; quare extremitates et scrotum saepissime afficiuntur.

Praeterea ad id genus malum pertinent morbi plurimi phaenomena erysipelatis, vel Erythematis saltem, prae se ferentes; — Carbunculus enim, Furunculus, Carfunculus, Anthrax et Erysipelas quod oedematosum dicere solent.

---

1) Magazin p. 513.
2) ibidem p. 525.

§. 12.

Permagnam proclivitatem ad Pseudo — Erysipelas inhaerere morbo rarius obvio, atque recentiori demum aevo medicis potissimum anglicis, Bromfield Walshon Garsthore primo observato, Erysipelati enim sic dicto neonatorum et indurationi telae cellulosae, hodie satis constat.

Perperam omnino morbus hic peculiaris Erysipelati adnumeratus est, Harles 1) Frank 2) Reddelin 3) etalii E. neonatorum et indurationem telae cellulosae pro variis speciebus inter se differentibus, habent, tamen quoad gradum tantummodo inter se differre censent Willan, Bromfield, Marcus, Iahn, Horn, Hufeland, Osiander, Richter etc. etc.

---

1) Rheinische Iahrbücher B. 5. St. 2. pag. 85. — 141.

2) Reisen nach Paris, London etc. Thl. 1. pag 72.

3) Sammlung kleiner Abhandlg. und Beobacht, über die Rose neugebohrner etc.

CURRICULUM VITAE.

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Ernestus Augustus Suin de Boutemard, evangelicae confessioni adscriptus Reinsbergae Mesomarchicae oppidulo die quinto mensis Octobris anni MDCCXCIV natus, primis literarum elementis in urbis patriae schola instructus sum. Bello anno MDCCCXIII sacro exorto, pro rege et patria stipendia feci usque ad annum MDCCCXIV, quo in Academiae Regiae Medico Chirurgicae militaris alumnorum numerum receptus sum, et per semestre praelectionibus de Anatomia universa et Encyclop. medica Ill. Rudolphi; de Osteologia et Splanchnologia Ill. Knape et de Physiologia Gener. de Koenen et Cel. Osanu interfui. Bello vero cum Franco gallis denuo conflato exercitum sequi iussus chirurgi munera suscipiens, studiis eripiebar.

Quae tum gesta sunt bella Institutorum naturalium atque medicorum, quae Lutetiis Parisiorum extant, cognoscendorum occasionem mihi exoptatissimam praebebant.

Anno MDCCCXVI revocatus adscriptusque in Seminarii medico-chirurgici militaris alumnorum numerum studiis adhuc per quinque semestria in cubui.

Cursu academico peracto Chirurgi munere in Nosocomio Caritatis Berolini per annum functus sum. Quibus peractis legioni cuidam Augustae Trevirorum adscriptus sum et per biennium chirurgi munera in me conferebantur. Unde redux denuo summo ardore literis amplexus sum.

Praeter Lectiones publicas his praelectionibus privatim traditis interfui.

In Philosophia me instituit Beat. Kiesewetter. Physice, Chemia ac Pharmacia Cel. Turte; Physiologia Ill. Rudolphi; Syndesmologia, Splanchnologia, Medicina forensi atque Arte conscribendi formulas medicas Ill. Knape. Artem cadavera rite dissecandi in Theatro anatomico Ill. Rudolphi et Knape me docuerunt. Materiam medicam Cel. Osann, Pathologiam et Therapiam generalem et semioticen Cel. F. Hufeland; Pathologiam specialem Ill. Horn; Therapiam specialem Ill. Ch. G. Hufeland mihi tradiderunt, neque abfui ab exercitationibus clinicis, ducibus Ill. Hufeland Ill. Horn Ill. Rust. Disserentes audivi Cel. Kluge de chirurgia generali, de morbis ossium; Ill. Graefe de chirurgia speciali et akiurgia; Ill. Rust de chirurgia universali, ophthalmiatrice et cursu operationum; Ill. Mursinna de akiurgia, qui simul in arte fascias rite imponendi

me erudivit. In arte obstetrica Ill. de Slebold et Cel. Kluge praeceptores mihi fuerunt, neque abfui ab eorum exercitationibus clinicis.

Tentamine et examine rigoroso rite absolutis Gratiosam facultatem medicam, dissertatione hac publice defensa, summos in utraque medicina honores in me collaturam esse confido.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Vagitum foetus uterinum haud negandum censeo.

II.

Erysipelas exanthemathis acutis iure adnumerandum esse arbitror.

III.

Amputatio à deux lambeaux ceteris methodis praestat.

IV.

Emeticum medico remedium pernecessarium.